



Philos.

B.

204,20



I. N. S. T.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
EXSPECTATIONE CASVVM SIMILIVM

QVAM
DIVINIS AVSPICIIS
SVB MODERAMINE
VIRI CELEBERRIMI
M. IACOBI CARPOVII

ILLVSTRIS GYMNASII VINARIENSIS DIRECTORIS
ET PROFESSORIS MATHEMATVM MERITISSIMI REGIAE
BEROLINENSIS ACADEMIAE SCIENTIARVM
COLLEGAE SPECTATISSIMI

PATRONI PRAECEPTORIS
STVDIORVM PROMOTORIS

HOSPITISQVE SVI
AD EXTREMVM VSQVE HALITVM
DEVENERANDI

GYMNASIO VINARIENSI VALEDICTVRVS
IN AVDITORIO MAIORI

DIE IV OCTOBRIS POST HORAM VIII MATVTINAM
M D C C L V I

DEFENDET

AVCTOR

BALTHASAR BERGMANNVS
RIGA-LIVONVS.



VINARIAE,
LITTERIS MUMBACHIANIS.

Philos. Var. chis. Fejo. XX. 13.

L. M. S. T.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA
DE
EXPECTATIONE CASVVM SIMILIVM

AVAM
DIVINIS ASPICIIS
SVB MODERAMINE
VIRI GELBERGII
M. I. A. C. O. R. I. C. A. R. P. O. V. I. I.

ILLVSTRISSIMO GYMNASII VINDOBENSIS DIRECTORIS
ET PROFESSORIS MATHEMATICVM MERITISSIMI REGIAE
FERDINANDENSIS ACADEMIAE SCIENTIARVM
COLLEGII SECTASSIMI

PATRONI PRAECEPTORIS
STVDIORVM PROMOTORIS


HOSPITII SVB
AD EXTREMVM VSQVE HALLIVM
DEVERENDI

GYMNASIO VINDOBENSIS VALEDICTVRVS
IN AVDITORIO MAIORI
DIE IV OCTOBRIIS POST HORAM IIII MATUTINAM
M. D. C. C. L. V. I.

DEPONDIT

AUCTOR

BALTHASAR BERGMANNVS



LITTE

O

V I R O

PLVRIMVM REVERENDO

PRAENOBILISSIMO CLARISSIMO

NEC NON

DOCTISSIMO

M. BALTHASAR BERGMANNO

VERBI DIVINI MINISTRO NEOMYHLENSI

ZARNIKAVIENSI ET WESTEROTHENSI

IN LIVONIA.

LONGE MERITISSIMO

P A T R I M E O

OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIAE CVLTV

SVSPICIENDO

FAVTORI AD VRNAS VSQVE PIE DEVOTEQVE

COLENDO.

BALTH. BERGMANNVS

O mibi, *FONS GENERIS* dulcis, mibi, *SAN-*
GVINIS AVCTOR,

Adsis! Hoc missum suscipe fronte bona.

Adspicias gnati paruum, nec despice minus,

Quod TIBI iam grata mente referre cupit.

Adspice conatum, placeat devota voluntas,

Sint meritis licet hæc inferiora TVIS.

Posthæc, sancte Deus, cui sancta ecclesia curæ est,

Egregium PATREM porro vigere iube!

Sis felix, venerande PATER, mibi SANGVINIS

AVCTOR,

Nulla TVAM mentem turbida fata trahant!

Verum vive mei memor undique mente, nec unquam

Sit novus antiqui finis amoris amor.

Hisce leuibus versibus

Dissertationem suam philosophicam

PATRI SVO PIE COLENDO

pia, devota et submissa mente

Dabam Vinarie d. II Octobr.

MDCCLVI.

dedicare et offerre conatus est

Filius humillimus et obsequentissimus

BALTH. BERGMANNVS

Auētor.



DE
EXSPECTATIONE CASVVM SIMILIVM
DISSERTATIO PHILOSOPHICA.

Hominibus inde ab antiquissimis temporibus creditum fuisse, quod natu maiores prudentia superent minores, veritas est explorata. Huius vero rationem, more philosophorum, si investigemus, non alia in promptu erit, nisi quod natu maiores multas res, quas iuniores comperire nondum potuerunt, per experientiam cognouerint, quodque propterea in rebus dubiis facile iunioribus consilia, ex anterioribus experientiis desumpta, dare queant. Experientia enim omnium rerum est magistra. Enim vero si consilium capitur ex experientiis anterioribus, nil aliud hoc est, quam exspectatio casuum similium, quia nisi inter olim gesta et nunc gerenda similitudo intercederet, præterita haud quaquam, quid nunc agendum sit, docerent.

Prologus.

Causa quibus

Similitudo

Causa quibus

Experientia

Similitudo

Experientia

Cum igitur expectatio casuum similium non minimum prudentiæ, ex qua gloria hominum maxima pendet, adminiculum sit, eadem, quæ vberius examinetur, et secundum proprietates suas euoluatur, digna mihi visa est. Atque hæc est causa, quæ me, specimen aliquod editurum, ad dissertationem hanc in lucem edendam impulit. Faxit Deus feliciter!

- §. I.
- Modus quid?* *Modus* est rei adfectio, quæ ita vel aliter esse potest.
- §. II.
- Actio quid?* *Actionem* vocamus mutationem entis, quæ in ente ipso rationem sui habet.
- §. III.
- Actiones dirigere quid?* *Actiones dirigere* dicimur, dum apud nos determinamus, vtrum aliquid faciendum, an omittendum.
- §. IV.
- Casus quid?* *Casus* est series factorum, ingredientium factum totum.
- §. V.
- Simile quid?* *Similia* vocamus entia, in quorum vno eadem criteria, quæ in altero sunt.
- §. VI.
- Casus similis quid?* *Casus similes* igitur sunt series factorum, in quarum vna seorsim eadem inueniuntur criteria, quæ in altera.
- §. VII.
- Expectatio casuum similium quid?* *Expectatio casuum similium* est modus dirigendi actiones (tuas) per olim facta in casu simili.
- §. VIII.
- Explicatio.* Ne definitio nostra de expectatione casuum similium sinistre intelligatur, explicationem placet addere. Quodsi
v. g.

v. g. contingat mihi casus aliquis, in quo, quid faciam, nescio, in memoriam casum meo similem reuoco; quo inuento, attendo ad ea, quæ alter in illo casu fecit, et quæ ei tunc acciderunt. Hoc facto, in mente mea concludo, idem mihi in hoc casu euenturum esse, si idem, quod alter fecit, faciam. Sed fieri etiam potest, vt actiones meas in casu præsentis secundum casum similem, qui mihi ipsi olim contigit, dirigam. Tale exemplum Iustinus Hist. Libro XI. Cap. XIII. de Alexandro Magno refert. Hic enim, tertium prælium aduersus Persarum regem Darium Codomannum ingressurus, milites suos tantum meminisse iubebat, cum iisdem Persis, quos bis vicerint, se tertio pugnare, nec meliores eos factos putare fuga. Itaque per expectationem casus similis eius, qui bis adfuerat, animum militibus suis addebat. Sed fieri etiam potest, vt similitudinem antecedentium casus præteriti et præsentis intelligens, similitudinem euentus casus præsentis cum præterito inferam, licet nulla actionum mearum directione accedente; id quod *analogum expectationis casus similis* adpellare placet.

§. IX.

Cum, experientia docente sic, sæpe homines actiones suas per olim facta in casu simili dirigant, sæpe etiam ex similitudine antecedentium ad similitudinem euentus in negotiis alienis concludant, dari expectationem casuum similia, eiusque analogum, dubitari nequit. (§. 7. 8.)

Datur expectatio casuum similia.

§. X.

Facultas similitudines rerum perspiciendi dicitur *ingenium*.

Ingenium quid?

§. XI.

§. XI.

*Expectatio
casuum simi-
lium supponit
ingenium.*

Expectatio casuum similiarum supponit ingenium. Nam qui expectationem casuum similiarum vel analogum eius exerciturus est, ille similitudinem duorum casuum debet perspicere (§. 7. 8.). Qui illam perspexiturus est, ille facultate similitudines rerum perspiciendi gaudeat, necesse est, quia ab actu ad facultatem agendi consequentia valet. Sed hæc facultas dicitur ingenium (§. 10.). Quare qui expectationem casuum similiarum vel analogum eius exerciturus est, ingenio pollere debet.

§. XII.

Quo quis igitur velociori præditus est ingenio, eo aptior est ad expectationem casuum similiarum. (§. 11.)

§. XIII.

*Attentio et
reflexio quid?*

Attentio est ea mentis nostræ operatio, qua efficimus, ut ex pluribus obiectis, quæ simul repræsentanda offeruntur, vnum seorsim et præ reliquis repræsentetur. Per *reflexionem* autem intelligo attentionem continuatam.

§. XIV.

*Expectatio
casuum simi-
lium supponit
reflexionem.*

Expectatio casuum similiarum supponit reflexionem. Nam quodocunque similitudo duorum casuum est perspicenda, in utroque vnum post alterum seorsim et præ reliquis perpendendum est. Hoc enim nisi fiat, conuenientia criteriorum vtriusque casus intelligi nequit, neque ideo perspicitur similitudo (§. 5.). Sed quodocunque in duobus casibus vnum post alterum seorsim et præ reliquis in mente repræsentandum est, opus est attentione continuata (§. 13.). Quare quodocunque similitudo duorum casuum perspicenda est, attentione continuata opus est. Cum igitur attentione continuata opus sit in expectatione casuum simi-

simi-

similium (§. 7.) in eadem opus est reflexione (§. 13). Ex quo porro intelligi potest, facultatem reflectendi supponi in expectatione casuum similium.

§. XV.

Facultatem imaginandi dico *phantasiam*, *imaginationem* autem repræsentationem rei corpori absentis.

Phantasia est imaginatio quid?

§. XVI.

Lex imaginationis, teste experientia, hæc est, quod, duarum idearum, communionem inter se habentium, producta vna, reproducatur etiam altera. Dicuntur autem *idea communionem inter se habere*, si aut earum quædam sit similitudo in se, aut simul in mente adfuerint.

Lex imaginationis quæ?

Quidque idea communionem inter se habentes?

§. XVII.

Quantam utilitatem *lex imaginationis* præstet, dici vix potest. Quotiescunque syllogismum facimus synthetice, posita vna præmissa, altera nobis in mentem venit propter terminum medium, utriusque communem, adeoque id fit secundum regulam imaginationis. Quin imo sine hac ne loqui quidem cum altero, nec intelligere alterum possemus. Nam si loquimur, ideas nostras exprimimus per verba; quod fieri non posset, nisi ideam rei et nominis coniunxissimus, adeoque ista producta, hæc simul reproduceretur. Si autem intelligimus alterum, per verba idea rei in mente excitatur; quod sine communiione amborum et regula imaginationis non fieret. Taceo alia.

Vsus legis imaginationis qui?

§. XVIII.

In expectatione casuum similium repræsentatio mihi rei corpori absentem, scilicet casum præteritum, cuius cum præsentem similitudo est (§. 7.). Itaque in expectatione casuum similium locum habet imaginatio (§. 15.);

Expectatio casuum similium supponit phantasiam,

B

et

& quia hæc supponit facultatem imaginandi, hoc est, phantasia (§. 15.), expectatio casuum similium etiam supponit phantasia.

§. XIX.

*et requirit
imaginationis
legem.*

Et quia in phantasia anima nostra agit secundum legem imaginationis (§. 16.), fit, ut in expectatione casuum similium etiam lex imaginationis locum sibi suum vindicet (§. 18.).

§. XX.

*Memoria
quid?*

Per *memoriam* intelligimus facultatem animæ ideas reproductas pro talibus, quas iam olim habuimus, habendi.

§. XXI.

*Expectatio
casuum simili-
um supponit
memoriam.*

Expectatio casuum similium supponit quoque memoriam. Dum enim in expectatione casuum similium actiones nostras dirigimus per olim facta in casu simili (§. 7.), anima non tantum ideas olim factorum revocat, sed etiam, dum duos sibi casus, quorum alter præsens est, sibi repræsentat, simulque reflexionis ope, uti similitudinem, sic etiam dissimilitudinem eorum percipit (§. 14.), exinde, alterius casus ideam olim se habuisse, intelligit. Cum igitur facultas ideas non tantum reproductendi, sed etiam pro talibus, quas olim habuimus, habendi, sit memoria (§. 20.), ad expectationem casuum similium requiritur memoria.

§. XXII.

*Sensatio et
sensus quid?*

Rei corpori præsentis repræsentationem in anima *sensationem* appellamus. Per *sensus* autem intelligimus facultatem sensationes habendi. Sumitur autem hæc vox quandoque etiam pro ipsa sensatione.

§. XXIII.

§. XXIII.

Dum in casu præsentis actiones nostras dirigimus per
olim facta, olim facta nos obseruasse pariter, ac iam ob-
feruamus casum præsentem, necessum est. Vtrumque
hoc igitur necesse est in exspectatione casuum similium
(§. 7.). Sed facultatem, corpori præsentia sibi repræ-
sentandi, appellamus sensus (§. 22.). Itaque nemo in du-
bium reuocabit, quod exspectatio casuum similium sup-
ponat sensus.

*Exspectatio
casuum simili-
um supponit
sensus.*

§. XXIV.

Carens igitur sensibus, phantasia, reflexione, memoria
et ingenio est ineptus ad exspectationem casuum similium
(§. 11. 14. 18. 21. 23.).

*Quis illa ca-
reat?*

§. XXV.

Conceptibile dicimus, quod potest concipi; *concipere*
autem rem dicimus, dum eam ex ratione sua cognoscimus.

*Conceptibile
et concipere
rem quid?*

§. XXVI.

Ex dictis animæ facultatibus exspectationem casuum
similium, ut ex ratione sua, cognoscimus. Nam si quis
casum aliquem sensibus olim percepit, nunc autem ipsi oc-
currat similis, per phantasia secundum regulam imagi-
nationis in mentem reuocatur prior (§. 16.). Dum igitur
porro per reflexionem comparatio utrorumque instituitur
et similitudo cernitur, ex paritate circumstantiarum ad
paritatem effectus concluditur; ex quo porro, quid agen-
dum vel omittendum sit, apparet. Id quod est ipsa ca-
sum similium exspectatio (§. 7.). Hæc igitur ex dictis
facultatibus animæ est conceptibilis (§. 25.).

*Vnde exspe-
ctatio casuum
similium con-
ceptibilis sit?*

§. XXVII.

Homines in plerisque agendis et fugiendis exempla potius, quam regulas datas, sequi, peruulgata res est. Neque id aliter esse potest, dum plurimi distincta boni et mali cognitione destituuntur. Sed qui exempla sequitur aliorum, ille actiones suas dirigit secundum olim facta in casu simili. Quare plurimi homines in plerisque agendis et fugiendis agunt secundum expectationem casuum similium. (§. 7.)

Quinam illam sequantur?

§. XXVIII.

Tentes experimentum, velim, quod iam ab aliis tentatum est; tunc repetis, quod alii iam tentarunt, actionesque tuas dirigis per olim facta in casu simili. Itaque manifestum est, quod repetitio experimenti etiam sit expectatio casuum similium (§. 7.).

Qui porro?

§. XXIX.

Circumstantias essentielles in casu voco, quæ faciunt ad effectum producendum; quæ non, *accidentales*. Generatim autem omne, quod casui inest vel adest, *circumstantia* appellatur.

Circumstantia quid et quotuplices?

§. XXX.

In expectatione casuum similium aut circumstantiæ essentielles vtriusque casus sunt eadem, aut non. Si in ambobus casibus circumstantiæ essentielles sunt eadem, tum illa sunt eadem, quæ ad effectum producendum faciunt (§. 29.). Sed ex eadem causa sequitur idem effectus, quia ratio diuersitatis effectuum nulla est, sine ratione autem sufficiente nil quidquam esse potest. Itaque si in duobus casibus circumstantiæ essentielles sunt eadem, idem effectus sequetur. Si autem circumstantiæ essentielles ex parte sunt diuersæ, non idem effectus expectari potest; de quo valet pro-

Ex circumstantiis essentialibus iisdem quid fluat?

pro-

prouerbium illud: *minima circumstantia variat rem.* Nam causas diuersas producere effectum eundem, postulari nequit.

§. XXXI.

Fallere nos dicitur *expectatio casuum similium*, si alius euentus sequitur, quam arbitrabamur.

Quando expectatio casuum similium nos fallat?

§. XXXII.

Si in duobus casibus circumstantiæ essentialia sunt eadem, idem effectus sequitur (§. 30.). Quia igitur non alius euentus sequitur, quam arbitrabamur, priorem casum respicientes, tum *expectatio casuum similium* non fallit (§. 31.). Fallet autem facile, vbi circumstantiæ essentialia duorum casuum sunt diuersa (§. 30. 31.). E contrario, dum circumstantiæ accidentales ad effectum producendum non concurrunt (§. 29.), earum diuersitas, vt nos fallat *expectatio casuum similium*, non efficit.

Continuatio.

§. XXXIII.

Bene hoc tenebat Alexander Magnus, milites suos, Persas fuga meliores non factos esse, monens (§. 8.). De *expectatione casuum similium* fallente autem legimus exemplum in fabulis. Asinus sale grauatus, cum ad flumen aliquod, per quod vadere debuit, peruenit, procubuit in medio fluminis; surgenti deinde e flumine faccus haud tam grauis, vti antea, visus est. Alio tempore asinus idem lana oneratus iterum ad flumen illud peruenit, in memoriamque sibi reuocans, se olim, postquam procubuerat in medio fluminis, onere leuatum fuisse, procumbit iterum in aqua cum onere; lana autem, aquam ad se trahens, longe grauius fecit onus, cum e flumine surrexit.

Exempla.

Hic itaque asinus decipiebatur expectatione casuum simi-
lium, ob diuersitatem circumstantiarum essentialium.

§. XXXIV.

*Quid agen-
dum, ne nos
fallat?*

*Quid igitur faciendum est, inquires, ne expectatio casus
similis me fallat?* Summo cum studio intentioreque cura
attendas, vtrum casus præteritus cum præfenti in essen-
tialibus circumstantiis conueniat, nec ne; id quod refle-
xionis ope fieri debet. Si adest ista conuenientia, nunquam
expectatio casuum similibus te fallat (§. 32).

§. XXXV.

*In expectat.
casuum simili-
um tertia no-
strae mentis
operatio con-
fuse obtinetur*

In expectatione casuum similibus tertia mentis ope-
ratio, seu ratiocinium, confuse obtinetur. Nam perce-
ptio casus præfentis propositioni minori, memoria præ-
teriti casus cum eo, quod in eodem contigit, proposi-
tioni maiori, & iudicium inde enatum conclusioni respon-
det. Quo ipso nexum inter actionem & euentum perspi-
cere nobis videmur. Dixi autem, confuse obtineri ratio-
cinium, quia non solent homines ista tria distincte sibi
repræsentare, sed plerique sic inferunt: *Posito olim A, po-
nebatur B; Ergo iterum posito A, iterum ponetur B;* ne dicam,
casum singularem, vt talem, legitimam propositionem
maiolem non efficere.

§. XXXVI.

*Ratio et ana-
logum ratio-
nis, quid?*

Facultas nexum possibilium perspiciendi dicitur *ratio*,
sensu subiectiuo voce accepta. *Analogum rationis* autem
est, quod cum ratione habet similitudinem.

§. XXXVII.

*Expectatio
casuum simi-
lium est ana-*

Per rationem nexum rerum perspicio (§. 36.), quod
in moralibus fit ita, vt ex natura rerum prosperum vel
fini-

sinistrum euentum actionis intelligam. Sed in expecta-
 tione casuum similibium etiam quidem euentum actionis
 prosperum vel sinistrum, verum non ex natura rerum,
 sed secundum casum similem intelligo per ratiocinium
 confusum (§. 35.). Habet igitur expectatio casuum simi-
 lium similitudinem aliquam cum ratione (§. 5.), adeoque
 est rationis analogum (§. 36.).

*logum ratio-
nis.*

§. XXXVIII.

Principium actionum hominis voluntariarum diri-
 gendarum est aut ratio recta, aut sensus cum phantasia,
 quia aut secundum distinctam, aut confusam boni maliue
 cognitionem homo agit. Quare qui vsu rationis non
 gaudet, ille repræsentationes sensuum et phantasiæ tantum
 in actionibus suis sequitur. Tales igitur cum sint infantes
 puerique, hi in actionibus suis sequuntur tantum sensuum
 et phantasiæ repræsentationes. Sed qui has tantum sequi-
 tur, ille agit tantum secundum expectationem casuum
 similibium, sensibus casum præsentem, phantasia præteri-
 tum repræsentantibus. Itaque in infantibus puerisque ex-
 spectatio casuum similibium tantum est principium agendi.

*Infantes et
pueri agunt
secundum ex-
spectationem
casuum simi-
lium.*

§. XXXIX.

Brutorum genera inter se differre videntur ita, vt
 alia imperfectiora solos sensus, alia perfectiora præter
 sensus etiam phantasia et paruum memoriæ gradum
 habeant. In prioribus locum non habere expectationem
 casuum similibium, manifestum est (§. 24.). Sed quia ex
 sensibus, phantasia, et memoria cum supposita reflexione
 conceptibilis est expectatio casuum similibium (§. 26.), fit
 inde

*An brutis in-
sit expectatio
casuum simi-
lium?*

inde

inde, vt illis brutis, quæ hisce facultatibus gaudent, ea tribuenda sit. Quod per exemplum facile illustrabitur. Canis intrat hypocauftum meum, baculum ad manus sumo, et expello illum verberibus. Alio si tempore redit, baculum tantum illi ostendo; tum fugam celerat, et ita agit secundum expectationem casuum similium.

§. XXXX.

*An analogum
rationis?*

Expectatio casuum similium est analogum rationis (§. 37.). Cum igitur illis brutis, quibus sensus, phantasia, et gradus aliquis memoriae insunt, competat expectatio casuum similium (§. 39.), analogum rationis etiam eis tribuendum est. Et ex hoc ipso multæ eorum actiones ipsæque artes, quibus adsuefiunt, pendent, perperam tributæ rationi ab illis, qui rationem et eius analogum confuderunt.

§. XXXXI.

*Empiricus et
rationalis
quid?*

In actionibus suis empiricum dicimus, qui eas secundum experientiam dirigit; qui secundum rationem rectam, *rationalem.*

§. XXXXII.

*Quinam em-
pirici?*

Qui secundum expectationem casuum similium actiones suas dirigit, is dirigit eas secundum experientiam, h. e. exempla (§. 7.). Quare idem in actionibus suis est empiricus (§. 41.).

§. XXXXIII.

Qui porro?

Non tantum igitur multa brutorum genera, sed etiam infantes, puerique, quin plurimi hominum adultorum, dum in actionibus suis dirigendis expectationem casuum similium sequuntur (§. 27. 38. 39.), sunt in actionibus suis dirigendis empirici (§. 42.).

§. XXXXIV.

§. XXXIII.

Præstat autem, in actionibus dirigendis rationalem, ^{Præstat, rationalem esse,} quam empiricum, esse. Qui enim rationalis, ille, dum ^{quam empiricum,} eas secundum rationem rectam dirigit (§. 41.), perspicit nexum actionis cum suis consequentibus (§. 36.), adeoque bonitatem vel prauitatem actionis perspicit distincte. At empiricus dum actiones suas secundum experientiam tantum dirigit (§. 41.), de bonitate vel prauitate actionis tantum iudicat ex exemplo, idque confuse tantum (§. 35.); quale iudicium etiam sæpe, si casus dissimiles videantur similes esse, fallitur (§. 32.). Distinctam autem cognitionem præstare confusæ, nemo in dubium vocare potest.

§. XXXV.

Cum igitur qui expectationem casuum similium in ^{et sequi ex-} actionibus suis sequitur, in illarum directione fit empiricus ^{spectationem} (§. 42.), rationalem esse in actionibus suis dirigendis, quam ^{casuum simili-} sequi expectationem casuum similium, præstat (§. 44.).

§. XXXVI.

Interea dum non fallit expectatio casuum similium ^{Quando ad} recte instituta (§. 32.), per eam pariter ac per rationem ^{expectatio-} rectam, bonitas vel prauitas actionis, si illius in se tan- ^{nem casuum} tum rationem habeas, potest intelligi. Quare ubi deficit ^{similium con-} ratio recta in actionibus liberis dirigendis, dum scilicet e ^{fugiendum} consequentibus actionis de moralitate eius iudicium ferre ^{fit?} non licet, expectatio casuum similium rationis rectæ vicem pensare potest, adeoque tunc ad illam est confugiendum.

§. XXXVII.

Habitus media conuenientia inueniendi ad finem bonum est *sapientia*; *prudencia* vero habitus media bene electa ^{Sapientia et prudentia} ^{quid?}

E

bene

bene executioni dandi. Quia vero in executione medi-
orum ad finem facile casus improvisi, siue fini agentis op-
portuni, siue aduersi, possunt accidere, ad prudentiam
pertinet, celerem esse consilii, vt illi in commodum ver-
tantur, hi auertantur.

§. XXXXVIII.

*Expectatio
casuum simi-
lium est ad-
miniculum
prudentiae.*

Quidquid facit ad media conuenientia ad finem bo-
num inuenienda, illud est adminiculum sapientiae (§. 47.).
Enim vero dum in expectatione casuum similium ex olim
facto simili, quid nunc agendum sit, colligitur (§. 7. 8.),
eadem facit ad media conuenientia ad finem, qui bonus esse
potest, inuenienda. Itaque expectatio casuum similium
est adminiculum sapientiae. Et quia celeritas consilii, ad
prudentiam pertinens (§. 47.), nil est aliud, quam repen-
tina mediorum ad finem inuentio, vltterius inde, expecta-
tionem casuum similium adminiculum prudentiae
esse, adparet.

IVVENIBVS PRAESTANTISSIMIS
BALTHASARI ET AMBROSIO BERGMANNIS
ACADEMIAE CANDIDATIS

S. P. D.

P R A E S E S.

Quanti sapientes temporis antiqui fecerint educationem et institutionem
liberorum bonam, hoc, si vel omnia deessent reliqua, doceret exem-
plum vetusti illius Cratetis, qui, teste Plutarcho, *se, si fieri posset, in al-
tissimum orbis locum adscensurum et proclamaturum, dixit: quorsum tenditis,
o homines, qui comparandae pecuniae omne impenditis studium, sed filiorum,
quibus relicturi estis istas opes, admodum exiguam curam geritis?* Sed nostra
acta-

acta-

aetate etiam parentes dari, bona liberorum suorum educatione nil prius, nil antiquius habentes, exemplo suo VIR PLVRIMVM REVERENDVS, PARENS VESTER HONORATISSIMVS, AMICVS meus inde ab annis academicis integerrimus, ostendit. Hic enim veluti ipse amat sapientiae studia, eorumque partem aliquam olim ex ore meo hausit, ita VOS quoque erudiendos, atque diuinae humanaeque sapientiae praeceptis ad altiora studia rite parandos, nulla habita itineris periculosi, nec distantiae locorum ratione, ante biennium mihi tradidit. Biennio hoc igitur scholastico cum, acroasibus publicis priuatisque non tantum, sed etiam priuatissimis philosophicis assidue frequentatis, eo prouecti sitis, vt publicum profectuum specimen, alter respondendo, alter opponendo, ante discessum edere, laudabiliter constitueritis: facere non possum, quin et PARENTI PLVRIMVM VENERANDO laudabiles conatus filiorum, et VOBIS ipsis fundamina studiorum bene iacta gratuler. Deus O. M. porro VOS ducat ad doctores academicos sinceros, VESTRAS autem mentes spiritu suo sic regat, vt eruditione et virtutibus septi quasi et exaggerati, instrumenta diuinae gloriae atque salutis publicae in PARENTVM gaudium et propriam VESTRAM felicitatem euadatis! Valete atque fauete. Dabam Vinariae Calendis Octob. 1756.

NOBILISSIMO DOMINO
RESPONDENTI

S. D.

IOANNES HENRICVS MEYER OPPON.

Totam philosophiam, teste Cicerone, frugiferam et fructuosam, nec vllam eius partem incultam ac desertam esse, ex hac quodammodo perspicuum est dissertatione. Quo vberiore autem doctrina *de expectatione casuum sivilium* aliis scientiis, cum primis iurisprudentiae, adfert vsum: eo maiori laude prosequendus es, Nobilissime Domine Respondens, quod in ea tuenda, quid valeant humeri, palam facere ausus sis. Laudabilem hunc conatum ex animo gratulor, et nihil magis in votis habeo, quam, vt, sub diuinis auspiciis, in stadio litterarum coepto feliciter crescas. Sustines enim, vt cum Cicerone vltius loquar, non parvam expectationem imitandae industriae paternae, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. Suscepisti onus praeterea graue et Athenaei nostri et Celeberrimi *Carpouii*, ad quos cum tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est, dedecorantem et vrbis auctoritatem et magistri. Quare, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, tantum fac, vt efficias, neue committas, vt, cum omnia suppeditata sint a parentibus tuis, tibi defuisse videare. Dabam Vinar. e Museo, Calendis Octobris, A. O. R. MDCCLVI.

VIRO

VIRO IUVENI
NOBILISSIMO DOCTISSIMO
BALTHASAR BERGMANNO

ACADEMIAE CANDIDATO
AMICO SVO DILECTISSIMO

S. D. P.

IOANNES CHRISTIANVS BEINITZ

VIN. SAC. LITT. CVLT.
OPPONENS.

Quum in addiscendis non minus, AMICE SVAVISSIME, artibus ingenuis, ac in omnibus, quibus iuuenum mentes ad altiora praeparantur studia, operam TVAM praeclare collocaueris, quam morum suauitatis concinnitatisque rationem semper habueris: dignus es, qui ab omnibus probis lauderis. Istam vero laudem mirifice auges, cum, quod raro euenit, dissertationem doctissimam defendendi in TE susceperis prouinciam. Quid mirum? si Maecenatum Doctorumque TVORVM fauorem, commilitonum amorem et TVI desiderium amicorum acquisuisti, stabiliisti. Sed nolo in laudes TVAS amplius excurrere, quas ex TVIS ipsius factis colligis, et adhibita in Academiis, quas petiturus es, diligentia, aliquando collecturus eris. Sicuti enim in ludo scholastico haud inuita Minerua ad studia incubuisti, ita spero, fore, vt in Musarum stadio eo feliciori successu vltius decurrere possis. Abitum praeterea TVVM ex Gymnasio Illustri et vrbe nostra omnibus optimis prosequor, et Deum T. O. M. pietatis imploro calore, vt studia TVA fortunare, TE ialuum seruare, Parentesque TVOS clarissimos omnibus bonis, quae in hance cadunt vitam, cumulare velit. Vale. Dabam Vinariae d. XXX Sept. clo 1o CCLVI.

BERGMANNE, *adscendis cathedram sub praeside claro
Et docto, cuius nomen per tempora cuncta
Restabit Musis laetum, florens et amandum.
Gaudia testandi hoc ansam praebet mihi largam.
Melliferos solidas doctrinae carpere fructus,
Assidueque TVAM studiis intendere mentem,
Non TIBI suffecit; verum certamine docto
Nunc quoque, TE, monstras, didicisse fideliter artes.*

Nobilissimo atque doctissimo huius dissertationis
respondenti haec pauca adiicere, eique fausta
quaeuis precari voluit

Opponens

CHRISTIANVS ADOLPHVS TROEBSTIVS,
Reu. Minister. Cand. et soc. lat. Ien. Collega.

digitalisiert PIN: 314695168

SLUB DRESDEN



3 1398989



IMMUNIK

NO.

